



DISSERTATIO

DE ACTIS PILATI

Ad Tiberium Imperatorem missis in causa mortis JESU CHRISTI.

Tantus fuit in ipsis Ecclesie Christianae crepundiis Apocryphorum & pravorum Librorum obtrudendorum pruritus, atque licentia, ut monstri loco haberi non possit, si tot occurrant viri suspiciosi, plurimum caventes, ne aliquid omnino eorum admittant Ecclesiae auctoritate non receptum, quamquam alioqui aetate illa satis vulgatum. Nec sane, unis exceptis Canonicis Scripturis, plures occurrunt, sive non interpolati, sive non ad libitum conficti. Quot falsa Evangelia, Acta Apostolorum, Apocalypses, Oracula Prophetarum, Martyrum & Sanctorum gesta in ipso Ecclesiae nascentis exordio supposita? Manus etiam injecta ab Haeticis in Evangelia, & genuinas Apostolorum Epistolas, scedè illas detruendo, addendo, vitando. Quid laboris impensum sit in restituendis integritati suae interpolatissimis S. Ignatii Epistolis, sat omnibus notum. Quot Martyrum Acta corruptores isti non perdidit? Tot in Ecclesiasticam eruditionem mala invexit praeposterus zelus, minus cauta simplicitas, opinionis alicujus singularis urgenda amor, ac tandem in erroribus afferendis perveracia.

Acta à Pilato ad Tiberium missa in causa necis Jesu Christi, ejusque resurrectionis, viros nostrae aetatis doctissimos in utramque partem exercent. Sanior illorum pars missa censet reipsa; an verò Acta illa ipsissima censenda sint, quae Patres laudant, an integra ad nos usque pervenerint, seu potius longâ saeculorum oblivione vel interierint, vel in eo fluxu temporis foecis plurimum contraxerint, res est inter Doctos illos agitata.

Provinciarum Romanarum Praesidibus solemne fuisse majoris momenti omnia ad Principem referre, docet abundè Plinius, ad Trajanum scribentis quid ipse cum Christianis in Asia egerit, exemplum (a). Morem illum, certiores nempe Imperatores faciendi, si quid novi in Provincia accidisset, ne quid illos lateret, à vetustissimis receptum in Imperio temporibus, observat Eusebius Hist. Eccl. l. 2. c. 2. Idem vel agnoscit, vel insinuat Tertullianus referens, Tiberium de rebus in Palaestina

a Plin. l. 10. Epist. 102. Tertull. Apolog. c. 2.

actis certiore factum, de Jesu in censum Deorum cooptando ad Senatum retulisse; non annuisse tamen Patres, qui sibi consecrandi Numina jus totum arrogantes, gravius ferebant propositum ab Imperatore Nomen efferre (b).

S. Justinus Martyr in Apologia pro Christianis secunda haec excerpit ex Actis à Pilato ad Tiberium missis: *Et cum in Crucem egissent eum, alicam super vestitum ejus luserunt, & in inter se partiti sunt illum qui crucifigendi supplicium peregerunt.* Tum ad Paganos addit: *Atque hac ita gesta esse, cognoscere ex Actis, quae sub Pilato sumi conscripta, potestis.* Et infra: *Quod insuper Christum curaturum fuisse morbos omnes, & defunctos excitaturum praedictum sit, verba vaticinii audite. . . Et quod ista fecerit, ex eis, qui sub Pontio Pilato conscripti sunt, commentariis cognoscere potestis.* Falsus profectò digesta erant Acta illa, quantum ex duobus huc textibus intelligimus.

De Actis à Pilato ad Tiberium missis sermo incidit pariter in Historia Martyrii S. Ignatii Antiocheni. Legitur enim illis, datas fuisse ad Trajanum literas, quibus fieret certior, Ignatium Theophorum homines docuisse, ut divinis honoribus colerent Jesum Christum, supplicio crucis damnatum à Pilato, ut ejus Acta docent. Sed tota haec periculis non legitur in Actis sinceris & selectis Mss. D. Theodorici Ruinart, & adscititiam esse tenent viri nostrae aetate doctissimi.

Quid ferrent Acta illa, habet non obscure Tertullianus Apolog. c. 21. Tradebant igitur, Jesum infestantes corpora Damones pellere, valetudinem restituere, cacis, leprosis, paralyticis, vitam defunctis, elementa & tempestates coercere imperio, super instructas aquas gradi, argumentis exhibere luculentissimis Filium esse se Dei & rerum omnium authorem. Ad Doctrinam illius fulgorem perstrictos Judaeorum optimates, graviusque favorem in illum populi ferentes, renuentem reluctantemque velut coegisse. Pilatum, ut virum in Crucem ad suas ipsorum preces ageret; quod supplicii genus ipsum sibi Jesum & veteres de illo Prophetas praedixisse. Actum in Crucem magis magisque potentiam suam exeruisse, quod scilicet non expectato carnificis ministerio spiritum suum posuisset, quan-

b Apolog. c. 5. Euseb. l. 2. c. 2.

quando sibi maxime visum fuerat. Eodem instanti solem in medio diei cursu nigricasse; tum Judaeos depositum è supplicio condidisse in sepulchro, commisisse ad eum custodiam militibus, ne forte Discipulis Praeceptoris sui cadaver suffurantibus, pro lato ab ipso Jesu de resurrectione sua intra triduum oraculo fidem mendacio adstruerent. Verum tertiam ab obitu die subito tremore concussa terra, sublatum fuisse lapidem ab ostio sepulchri, milites inopinato terrore in fugam actos, & Discipulis omnibus licet absentibus, nihil tamen nisi mortui insitas in sepulchro apparuisse; sparsisse in vulgus rumorem Judaeos optimates, fustulisse Discipulos Jesu Christi cadaver; sed illum post actos plures dies in Galilea Palaestina regione, docentem Discipulos suos quid alios ipsi docerent, tandem relictis istdem Discipulis mandatis de praedicatione per univrsam mundum obeunda, nube vchement in Caelum elatum evanuisse.

Concludit tandem Tertullianus: *Ea omnia super Christo Pilato, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Caesari tum Tiberio nuntiavit.* Addit insuper: *Sed & Caesares credidissent super Christo, si autem Caesares non essent saeculo necessarii; aut si & Christiani potuissent esse Caesares.* Ex hoc Tertulliani Textu intelligimus, Epistolam Pilati ad Tiberium veluti summam complecti Evangelii, scribente ad Imperatorem Pilato, quidquid de rebus gestis Jesu Christi ab exordio ejus praedicationis ad Ascensionem usque reciverat. Consecutiones ex hoc nostras infra deducemus, illud tantum in praesenti animadvertisse contenti, nihil esse quod miremur, si Tertullianus de Pilato assereret, pro sua illam conscientia Christianum fuisse; nemo enim Christianus melius rebus Jesu Christi scribendo, nemo exactius consuluisse. Et Tiberius de his omnibus certior factus, statim de referendo inter Deos Jesu Christo, quem sane Numinum Paganorum multo esse praestantiorer noverat, è Pilati testimonio retulisse.

Tandem Eusebius Caesariensis, qui Tertulliani Apologeticum utique legerat, Epistolam Pilati ad Tiberium bis meminit. Narrat enim in Chronico sub Cos. anni J. C. 36. Pilatum certiore per literas fecisse Tiberium de Jesu Christo ejusque doctrina; ac Tiberium vicissim de recipienda fide Christiana egisse in Senatu; sed Patres renuisse. Addit in sua versione ejusdem Chronici Hieronymus: *Verum cum ex consilio Patrum Christianos eliminare Urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem.*

Idem Eusebius histor. Eccl. l. 2. c. 2. haec habet: *Interea cum per omnem jam locum de resurrectione & mirabilibus Domini Jesu Christi, & de Ascensione ejus ad Caelum felix fama loqueretur, ac per omnium aures beati rumoris volveretur opinio; quantum antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, si quid foret novi in his, quae regerant, Provin-*

ciis accidisset, vel Principi vel Senatus nuntiarent, ut ne ex his, quae gerebantur, ignorare aliquid viderentur; de resurrectione à mortuis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, qua jam in omnem locum fuerat perulgata, Pilatus Tiberio Principi referi. Sed & de ceteris mirabilibus ejus ut post mortem cum resurrexisset, à quampurimis jam Deus esse crederetur. Tiberius qua compererat, retulit ad Senatum; Senatus autem sprevisse dicitur. Tamen fertur Tiberium tum eam, quam prius animo combiberat, opinionem firmè tenuisse, tum nihil absurdi contra Christi doctrinam nec cogitatione quidem motum esse. Laudat post haec è Tertulliani Apologético locum supra à nobis adductum.

S. Epiphanius haec ref. 50. num. 1. agens de *Quartadecimanis*, contendentibus diem Paschae celebrari oportere ipsa die, qua Jesus Christus anno obitus sui celebravit, (tunc erat dies 14. Lunae) in quacumque tandem diem Lunae incidisset; S. Epiphanius, inquam, asserit Haeticos illos, opinionis suae potissimum fundamentum habuisse Acta Pilati, diem obitus Jesu Christi consignantia 8. kal. Aprilis, idest 25. Martii: itaque Pascha eadem die celebrabant nihil ad Lunam attendentes. Frequentabant, illi potissimum Cappadociam, eodemque omnes die Pascha celebrabant. Verum, addit S. Epiphanius, Actuum ejusmodi Exemplaria variant; legimus enim in nonnullis 15. kal. Aprilis (e); licet non defint, qui crasso plane errore revocant ad 10. kal. Aprilis (d).

Nihil aliud discriminis observat S. Epiphanius in Actis illis nisi in adscriptione diei Paschalis; quod argumento est apertissimo in reliquis omnibus & Epiphani, & Quartadecimanorum Exemplaria congruisse, & pro assertis haberi.

Author homiliae septimae de Paschate inter Opera S. Chryostomi tom. 5. edit. Savil. scripta ann. 672. habet pariter: *Neque ignoratur tempus, quo Servator noster passus est; nam Commentariis sub Pilato compositi tempus Paschatis definiunt. Constat itaque ex his, quod 8. kal. Aprilis (idest 25. Martii) passus fuit Servator.* Eadem temporis adscriptio legitur in calce Evangelii Nicodemi, quod aliqui ipsissima Pilati Acta censuerunt, de quo Evangelio infra.

Epistola Pilati ad Tiberium in Martyrologio Florentini data est 4. Nonas Aprilis, idest 2. ejusdem mensis. Qua in Hegeippo legitur, vulgata à Sixto Senensio, nullam habet temporis adscriptionem; sicut nec altera in Apocryphis N. T. D. Fabricii. Cum autem exactissimae astronomicae supputationes Christi obitum consignent ad diem 3. Aprilis anni 33. Aerae Vulg. sequitur inde, neque Acta Pilati apud S. Epiphanius, neque caetera alia nobis cognita genuina reputari.

Paulus Orosius Discipulus S. Augustini l. 7. c. 4. haec habet: *Postquam passus est Dominus Jesus Christus, atque à mortuis resur-*

c Idest 20. Martii. d Idest 23. Martii.

surrexit, & Discipulos suos ad predican- dum dimisit, Pilatus Praefes Palaestina pro vicinia ad Tiberium Iperatorem, atque ad Senatum retulit de passione & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, qua vel per ipsam palam facta fuerant, vel per Discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, & de eo quoddam crescente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit: edictoquo constituit, exterminandos esse ab Urbe Christianos: praecipue cum & Sejanus Praefectus Tiberii suscipienda Religioni obstinatissime contradiceret.

Integrum hoc fragmentum excribere visum est, ut ejus opinionis contracta inter fluendum seces demonstrarentur, prout a suo fonte magis magisque longius deducitur. Nonnulla enim relata a Tertulliano historiae, unde suam derivavit Orofius, addere illi succurrit, ut illud de Sejanis, & alia. Quae verò de Senatus edicto, quo exilium ab Urbe Roma Christianis decernebatur, haec ex versione Latina Chronici Eusebiani per S. Hieronymum deducta satis constat,

S. Gregorius Turonensis hist. Francor. l. 1. c. 20. pag. 18. Edit. Ruinat. Apprehensus autem & Joseph, qui (Dominum) aromaticis conditum in suo monumento recondidit, in cellulam includitur, & ab ipse Sacerdotum Principibus custoditur, majorem in eum habentes servitiam, ut gesta Pilati ad Tiberium Imperatorem missa referunt, quam in ipsum Dominum, ut, cum ille a militibus, hic ab ipse Sacerdotibus custodiretur: sed resurgente Domino, custodibus visione Angelica territis, cum non inveniretur in tumulo, nocte parietes de cellula, in qua Joseph tenebatur, suspenduntur in sublimi; ipse verò de custodia absolvente Angelo liberatur, parietibus restitatis in locum suum. Cùmque Pontifices custodibus exprobrarent, & sanctum corpus ab ipsis in- stanter requirerent, dicunt eis milites: Reddite vos Joseph, & nos reddimus Christum.

Omnia haec simul leguntur hodie in Pseudo Evangelio Nicodemi, ex quo (nisi ex apocrypho alio malueris) desumpsit facile S. Gregorius, quae jam ex illo recitavimus. Scriptum profecto illud nihil minus refert quam missa ad Tiberium Epistolae similitudinem; est enim prolixum sanè Opus impolito ac pedestri tum & barbaro latinis sermone scriptum, in quo puerilia multa & levia, ac, quod caput est, non nisi ferè notum. Sunt qui profectum ab ipso eodem S. Gregorio suspicentur, illis ejus verbis ducti (e): Pilatus autem gesta ad Tiberium Caesarem mittit, & ei tam de virtutibus Christi, quam de Passione, & Resurrectione ejus insinuat. Qua gesta apud nos hodie retinentur scripta. Sed numquid his verbis Author Operis Gregorius probatur? Altum est de

e Hist. France. l. 1. c. 23. Vide, si lubet, D. Ruinat Praefat. in Gregor. Turon. num. 76.

illo apud Veteres silentium, proditque primum impressum in Orthodoxographis Basileae an. 1555. D. Fabricius, qui solenter omnium de hoc Scripto agentium testimonia collegit (f), neminem profert vetustiore Authore Synaxarii Graecorum, qui relatione tantum aliorum audita refert; inter Latinos omnium primum affert Grynæum in Praefatione ad Orthodoxographos.

Pseudo-Hegesippus, Scriptor quarti vel quinti saeculi (g), omnium primus Pilati ad Tiberium Epistolam quandam recitavit. Habet igitur Scriptor ille: „ Quamvis Pilatus manus laverit, nequaquam tamen minus extitit reus, qui gloriam Dominicae agnoscentis Resurrectionis, predicare invitatus studuit, sed credere perfidus contempsit; sicut testatur ejusdem Epistola, Caesari in hunc modum directa: Pontius Pilatus Claudio salutem. Nuper accidit, & quod ipse probavit, Judaeos per invidiam se suosque posteros crudeli condemnatione passisse. Denique cum promissum haberent Patres eorum, quod illis Deus eorum mitteret de Caelo sanctum suum, qui eorum Rex merito diceretur, & hunc se promissum per Virginem missurum ad terras: Istum itaque me Praefide in Judaea Deus Hebraeorum cum misisset, & vidissent eum caecos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, Damones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse se siccis pedibus super undas maris, & multa alia fecisse; cum omnis populus Judaeorum eum Filium Dei esse diceret, invidiam contra eum passi sunt Principes Judaeorum, & tenuerunt eum, mihique tradiderunt, & alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerant, afferentes istum Magistrum esse & contra Legem eorum agere. Ego autem credidit ita esse, & flagellatum tradidi arbitrio eorum: Illi autem crucifixerunt eum; & sepulto custodes adhibuerunt. Ille autem, militibus meis custodientibus, tertio die resurrexit: in tantum autem exarsit nequitia Judaeorum, ut darent pecuniam custodibus, & dicerent: Dicite quia Discipuli ejus corpus ipsius raperunt. Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non poterunt. Nam & illum resurrexisse testati sunt; se vidisse, & se à Judaeis pecuniam accepisse. Haec tenet Epistola apud Hegesippum: Sixtus Senensis, ut eandem in nonnullis levioris momenti variatam recitat, addit, hanc periodum tanquam ex eadem Epistola, cum Hegesippus tanquam suis verbis illam ferat, nec vale in fine ejusdem Epistolae apponat: Haec ideo ingesse, ne quis aliter mentiat, & existimet credendum mendacis Judaeorum.

En alteram melioris notae, & magis ad gustum antiquitatis à Florentino vulgatam (h). „ Pilatus Tiberio Caesari salutem: De Jesu Christo, quem tibi placuit, nè postremis meis declaraveram, natum tandem populi acerbum, me, quasi in-

f Apocryph. N. T. pag. 223. &c.

g De Excid. Urbis Jerosol. Anacarpalao. sis 10. 5. Biblioth. PP. pag. 121.

h Florentin. Martyrol. Vet. pag. 113.

vito & subiciente, supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium ac syncerum nulla unquam aetas habuit, nec habitura est. Sed mirus extitit ipsius populi conatus, omniumque Scribarum & Senatorum consensus, suis Prophetis, & more nostro Sibyllis praemonentibus, hunc veritatis legatum crucifigere; signis enim super naturam apparentibus, dum penderet, & orbi universo Philosophorum judicio lapsum minantibus. Vident illius Discipuli opere & vita continentia Magistrum non mentientes; imò in ejus nomine beneficientissimi. Nisi ego seditionem populi propè astantem pertuissem, fortasse adhuc nobilis ille vir viveret. Etsi tuae magis dignitatis fide compulsus, quam voluntate mea adductus, pro viribus non restiterim, sanguinem justum totius accusationis immunem, verum hominum malignitate inique in eorum famem, ut Scripturae interpretantur, exitum pati, & venundari. Vale. Quarto Nonas Aprilis.

Haec Epistola supposititia multis argumentis demonstratur. 1. Datas antea à Pilato ad Tiberium alias de Christo literas constituit; quod quidem nusquam legitur apud Veteres; non siluissent autem, si in Actis, quae laudant, aliquid ejusmodi legissent. 2. Ita de Jesu (Jesum Christum appellat) agit, ut nihil praeclearius à Christiano quopiam Scriptoris desideraretur. 3. Scribas & Seniores in Christi necem animatos habet; sicut autem Sacerdotes, quos tamen scimus mortis illius auctores praecipuos. 4. Praedictum Sibyllino oraculo Christi supplicium comminatur; neque enim Sibyllarum carmina ea de re in medium allata sunt, nisi diu post Pilatum, & post obitum scripta quaedam Sibyllina, omnia confessione spuria. 5. Frigidè prorsus causatione factum suum de supplicio in Jesum decreto excusat Pilatus, damnasse scilicet se virum popularis seditionis metu; tum etiam quod Judaeorum Scripturae ferrent, unum hominem pro totius gentis salute interitum. Regiae quidem dignitatis affectata, tum & seditionis in populo, atque in Caesarem reum illum agebant Judaei; quae si veritati cohaesissent, morte utique damnandus fuisset; sed cum calumniosa essent omnia, quid ex illo fuisset vitandum? Ad haec Judaei ad mortem illum posebant secundum Legis sanctionem: Secundam Legem debet mori; statimque rationem subdunt: Quia Filium Dei se facit [i]. Quae tamen accusatio non multum valuisse apud Judicem videtur.

Historiam Jesu Christi missam, uti quidem scribitur, à Pilato ad Tiberium, & in Jerosolymitano tabulario sub Theodoro inventam recitant Bollandistae ad 4. Februarii; sed omnium confessione apocryphum est commentum. Laudat etiam D. Cotelerius Graecam quandam Relationem Pilati ad Tiberium de rebus ante & post obitum J. C. (k) sed viri illius docti iudicio futilem aded ut legere pigeret.

l. Jo. 19. 7.

k Coteler. ex Cod. Regio 2431.

D. Fabricius alteram à Colbertino Codice num. 2493. vulgavit in Addend. Apocryph. num. 1. cujus haec summa: Relatio Pilati Praefecti de Jesu Christo Domino nostro, missa ad Tiberium Imperatorem verisantem Roma. Potentissimo, Augustissimo & invictissimo Imperatori Tiberio, Pilatus Praefectus Orientis. Cogor hisce literis tibi, potentissimo Imperator, significare, metu licet plenus ac terrore, quod nuperi temporis impetus vulerit, & jam colligo inde quid deinceps postea futurum sit. Postea ad rem accedens narrat, Herodem, Archelaum, Philippum, Annam, & Caipham cum Judaeis ceteris in manus suas tradidisse Jesum, quem plurimorum criminum reum agebant; sed de nullo prorsus convictum, quin potius complurium miraculorum, quae ipse enumerat, insignem patratorem. Meminit inter cetera Lazari è mortuis suscitati, Hemorrhoidis taëu fimbriae Jesu Christi ad valetudinem restituta. Profitetur deinde, coactum se hominem cruce perimendum Judaeis permisisse, quamvis nullius criminis reum cognosceret. In ejus obitu mira plurima; dehiscente terrâ è mortuis surrexisse Abrahamum, Isaac, Jacob, duodecim Patriarchas, Moysem, & Joannem, qui spectandos de die (Dominicâ) in ipso noctis silentio aërem ingenti fragore insonuisse. Caelum septuplo clariori lumine nituisse, & tertiâ noctis horâ micuisse Solem; vivos pariter magno numero Angelos clamantes: Jesus Crucifixus resurrexit. Lumen illud noctem universam illustrasse; patuisse terram ad imòs usque abyssos, mortuos rediisse ad vitam, & Angelos viro occurrisse. Judaeorum plurimos terrâ hiatum illum absorbuisse; Synagogas Jerosolymae evertas, ados in fugam milites ad custodiam sepulchri Jesu Christi constitutos, quibus obiectos subitò Angelos terrorem incussisse. Haec sunt, addit, quae praesenti tempore gesta comperi, & ad Potestatem tuam referens quacumque cum Jesu Judaei egerunt, Numini tuo, Domine misi. Addit demum Author, hanc Epistolam missam ad Urbem tantam in Pilatum creasse invidiam, ut Tiberius actutum, missis apparitoribus, adduci Virum ceteris vincum iusserit.

Frustra hic characteres omnes suppositionis hujus epistolae excuteremus; patet enim per se. Exaggerat praeposterè quidem Author miracula Jesu Christi, circumstantis pluribus in Evangelio incognitis adjectis. Notis & assertis nova plurima addit. Tandem stilum ineptè inflat, conatus majestatem addere rebus, quae majestate suâ plurimum Authoris phrasè superant. Ad Imperatorem inusitato per eam aetatem more loquitur, compellans illum elogio majestatis, divinitatis, Altissimi, potentissimi, augustissimi, & invincibilis: se tandem praeposito titulo Praefecti Orientis jactat.

Reliquum est tandem, ut de Actis Pilati Paganorum fraude proculis agamus. Maximinus Imperator, teste Eusebio (l), vulgari curavit quarto Ecclesiae saeculo Acta

l Hist. Eccles. l. 9. c. 5. pag. 350.